

dica ^{a)} potest in pace permanere sine uno capite, et ^{b)} eadem ratione multi tales principes indigent uno rege ipsos consiliante ^{c)} et regulante, cum possit oriri dissensio inter principes tales sicut inter simplices, et eadem ratione cum possint plures ad invicem dissensionem habere et invicem iniuriari, indigent sicut inferiores aliquo consiliante et regulante, et sic ^{d)} est procedere ^{e)}, donec veniatur ad unum monarcham, qui a se dissentire non potest.

Quarta ratio est ^{f)}, quod ^{f)} ordo partium exercitus ad invicem est propter ordinem totius exercitus ad ducem sicut partes sunt propter totum, ut declaratur in prima philosophia ¹³⁾; et ideo cum finis sit melior hiis, que sunt ad finem, melior est ordo principum ad ducem quam sit principum exercitus ad invicem, et ideo si ponantur plures principes habentes coordinationem ^{g)} ad invicem et carentes subordinatione ^{h)} ad ducem, illi carent meliori dispositione quam habeant. Sed sic est in universo, si sint ⁱ⁾ plures principes sine monarcha. Isti enim possunt habere ordinem ad invicem et connexionem, si boni sunt, sed non habent connexionem ad superiorem que est melior. Ergo status universi sub principibus pluribus non potest esse optimus, et ideo ^{j)} oportet dare ^{k)} unum monarcham ^{l)} in optimo esse possibili universi. Intelligendum tamen, quod illud quod de se esset melius in optima politia ^{m)}, quandoque ex pravitate hominum fit deterius, sicut habere principem per medium electionis est simpliciter melius quam per viam successionis, quia tunc melior magis potest accipi, et ita fit in optima politia ⁿ⁾ scilicet spirituali; tamen propter malitiam hominum magis est expediens principatus per successionem propter dissensiones subortas. Ita licet esse unum monarcham esset ^{o)} simpliciter melius, tamen propter maliciam principum potest contingere ^{p)} deterius, cum volunt abuti

a) domita P 1. b) fehlt P 2. c) conciliante P 2. d) sicut P 1.
e) proficere P 1. f) quia P 2. g) cord. P 1. h) -ni P 2.
i) sunt P 2. j) dahinter non P 1. k) dahinter universi P 1. l) unam
monarchiam P 1. m) possibilia P 2. n) fehlt P 1. o) esse P 1.
p) contingere P 1.

¹³⁾ *Metaph. 11, 10, 1075 a. Der Vf. zitiert hier nach dem Kommentar des Thomas zur Nikomachischen Ethik ed. A. Pirotta (1934) S. 2 Nr. 1: nam ut Philosophus dicit in undecimo Metaphysicorum, ordo partium exercitus ad invicem est propter ordinem totius exercitus ad ducem.*